

1780.

1. Edzardus, Iohannes Hieronymus: De pelle liberas
mercatoriorum.
2. Gueing, Rane. Lehoux: De virus intra corpus as-
sumpti us et noxa.

1781.

1. Linckius, Terentius Thorelli: De industriae
materia.

1782. 2 Linckius, Terentius Thorelli: De felonine
specie, quam consuetudines feudales concubita-
lionem appellant

1792.

1. Faustus de Lame: De reformatio justicis suspectis
~~et jure contra factiosos sententiae~~
Schroeter, Io Georgius: De usum remedii legis fra-
cad. &c. Editio Dicitur Moriani tristis proceptum
i' causis feudibus et Munitibus.

1745

1. Faust, Ioh. Samuel: De recusatione judicis
suspecti ac iudicamento perhorrescentiae

1746.

1. Wiigerus, Iohannes: De heretorum scriptorum ratione.

1748

1. Lorenz, Ioh. Michael: De successione in Thuringia
fundata trian regnum, Francie, Germaniae, Italie.
2. Litteratus, Iohannes Martinus: Vindiciae hispano-juri-
dicae iuris Romanii et Teletum in Germania contra
reformationem de 1441. Friderico III Imperatori
adhorti salutatione:

1750

1. Bacht, Ioh. Philippus Antonius: De fendo ab und dom
venditionem non amittendo.

2. Corinthius, Petrus Philippus Georg Antonine de: De
jure advocateas seu profectionis

1750

3. Feijerius, Ioh. Gottlieb: De Civitate Imperatoris
potestate in concedentia expectacionis in fenda
imperii majora. Rer. 1753

4. Feijerius, Ioh. Reinhardus: De probatore et reterio
secundum leges Divinas et humanas

5. Mansimus, Ioh. Antonius: De jure Gentium

1752.
1. Lehmanns, Ioh. Christianus: De natura et jure
bonorum curiticorum

1753.
1. Klinglin, Philippus, etc.: De auctate legitima
eligendi regis Romanorum

1758
1. Scheid, Ioh. Gottlieb: De potestate statuum
imperii leges in territorio ferendis recessibus imperii
contrarias II.

2. Lübbersd, Ioh. Hart: De occupatione rerum immobilium.

1757.

1. Ehren, A. Fiducius: De occupatione rerum Iuniorum
bibliorum Spec. II.

1758.


1. Beaumier, Isophas: De collatione bonorum.

2. Ribaut, F. Xaverius: Octava virginum

1759.

1. Augustus de Lichtenberg: De iustitia et misericordia
Iustitiae et misericordiae ratione, origine, & effectu.
Rerum de jure ratione, origine, & effectu.
De iustitia et misericordia ratione, origine, & effectu.

UNIVERSITATIS
SALVATORIANAE
PRO FORTALE
PRO LIBERTATE
PRO HONORE
PRO CIVILIA PROCTORALIA ET
CONSECVNDI.



102./385.


B. C. D.
DISSERTATIO JVRIS FEVDALIST,
DE
FELONIÆ SPECIE,
1741, 2
QVAM
CONSVETVDINES FEVDALES
CVCVRBITATIONEM 4
APPELLANT,
QVAM
PRÆSIDE
DN. JEREMIA EBERHARDO
LINCKIO,
J. U. D. JUR. PUBL. ET PAND. P. P. O.
ET CAP. THOM. DECANO,
SOLENNI CENSVRÆ SUBJICET
AD DIEM 27 FEBRVARII MDCCXL.
GEORGIVS ANTONIVS
JÆGER,
ALTENSTADIENSIS.
ARGENTORATI,
Typis, MELCHIORIS PAVSCHINGERI, Typogr.

BENEVOLO LECTORI
SALVTEM!

INcidit in manus MSCtum presentis
Dissertationis, a VIRO illustribus
meritis, excellentis animi ingenii-
que dotibus, generosaque prosapia con-
spicuo conscripta, quam, ut publica
luci exponeretur, dignissimam judicavi.
Itaque per pensa aliquot, ut eam Can-
didatis Juris defendendas distribuerem,
Exercitiorumque Academicorum gratia
prelo subjicerem, benigne VIR LAV-
DATVS permisit; Vale, Lector Benevole!

Efave ad tui commodum
intentissimo.

GEORGIAE ANTTONIAS
LEGER
ALTIBNS TADIFENSIS
CIVICARIA
Tib. MELCHIORIS LASCHINGERI Typis.



Initium sit cum Deo.

DISSERTATIO JVRIS FEVDALIS

DE

FELONIÆ SPECIE,

Quam

CONSVETVDINES FEVDALES
CVCVRBITATIONEM

APPELLANT.

THES. I.

Um de *Cucurbationis* materia quædam delibare instituerim, non abs re esse duxi, principaliores, ob quas feudum amittitur, causas præmittere. Omnes autem enumерare, nec ad rem conduceret, nec possibile esset, cum ipse illud fateatur Obertus ad filium Anselmum scribens in 2. F. 23. dummodo memineris causas illas sub aliqua certa regula, aut definitione rotunda non posse comprehendendi. Quo eriam pertinet textus 2. F. 24. §. item si. ubi dicitur: Sed quia natura novas deproperat edere formas, potest multis modis contingere, ut alia emergant cause, quibus videatur iuste adimi posse feudum; ideoque iudex solers ac

A 2

discere.

discretus & aquitati obsecundare sollicitus, cuncta
subtiliter dispensans, provigeat, si qua fuerit antiquior-
ibus causis similis aut major: ut proinde sciat, utrum
beneficium sit amittendum.

THES. II.

Nos ita rem commodissime confici posse ex-
stimamus, stauendo, feloniam committere & per
hanc feudo excidere Vasallum, vel propter *omissa*
vel *commissa*. Causae *omissionis* consistunt vel in ne-
glectione *vite* ac *incolumentis*, *fame*, aut *rerum*, *ju-
riumque Domini*. Prioris generis se fistunt tres;
vel enim (1) Vasallus sciens domino grande quod-
dam imminens periculum aut jacturam non signi-
ficavit, aut vero cum in ejus positum sit potesta-
te, periculo illi imminenti se non opposuit, 2. F.
7. §. ego juro tibi 2. F. 24. §. item qui. vel (2) de-
tentum dominum, si portuerit, non liberavit, quod
ad injustam tantum restringendum est detentio-
nem arg. text. 2. F. 28. in quibus textibus saltem de
injusto, quod domino est illatum damno, mentio
fit, hinc de captivitate injusta lex solummodo in-
telligenda. Vel (3) dominum in acie periclitantem,
non mortuum, nec lethaliter vulneratum, &
ipse præfens, deseruit, e. un. pr. I. F. c. un. §. fin. vers.
vel si in pugna. 1. F. 21. e. un. §. 2. in pr. 2. F. 24. nisi
ipse sibi sine fuga consulere queat. Circa prædi-
ctas causas adhuc aliae circa famam res & jura
hinc inde ex Feudistis colligere licet, quas nunc
consulto, ut non buo spectantes, omittimus.

THES.

THES. III.

Committendo felonia committitur vel *directo*
vel per *consequens*, ut patet ex 2. F. 24. §. fin. *Directo*
contra Dominum peccat, si eum occidit, quocun-
que fiat modo; de hoc perspicue Imperator O T-
TO M. in *Constit. apud GOLDASTVM Tom. III.*
Constit. Imp. p. m. 304. agit: *Vasallus*, ait, si interfici-
cit Dominum suum, in vita honore & bonis, cum qui-
bus ab ipso infidelatus fuerit, condemnatur; Ex-
cepto moderamine inculpate tutela, quod a natura
ipsa hominibus præscriptum, ut quoctunque casu,
si modus non excedatur, vim vi repellere, occi-
dendo etiam Dominum injuste offendentem, li-
ceat. Quod & Juri Civili & Canonico consen-
taneum: l. 3. §. 4. de J. & J. l. 45. §. 4. ff. ad L. *Aquil.*
Can. Jus naturale 7. dist. 1. Can. interfici 2. X. de
Homicid. Apponere hic placet juris Saxonici quam
apprime hic spectantia verba: Wundet ein Mann
seinen Herrn, oder schlägt ihn zu todt in Noths-
wehr seines Leibes, er thut daran wieder seine
Treu nicht, ob die Nothwehr mit Recht beweiz
set wird. vid. *Jus Sax. Prov. lib. 3. art. 78.* Exi-
munt quoque DD. J. Feud. inter quos ROSENTH.
de Feud. c. 10. conclus. 20. n. 41. hoc in passu ca-
sum caloris iracundiæ justi, utputa, si Vasallus Do-
minum in flagranti delicto cum uxore deprehen-
sum necaverit; Impingit enim hic Dominus in si-
dem militi suo ex præsumtione Jur. Feud. datam;
nam æque ut Vasallus Domino, ita vicissim Dominus
Vassallo quoad omnia, paucis exceptis, obstringi-
tur;

tur ; cessante ergo uno obligationis latere , cessat & alterum ; Vafallum sc. ad conservandam Domini personam obligans . Hinc & Juris effectus cessat & pena Vasallo alias infligenda & plerumque in privatione feudi consistens , remittenda erit . De Domino feudali simplici hic loquor , non de territoriali , de quo altior est indago . Altas quoque gratiam pœnæ ordinariae indulgere potest REX aut Princeps illis , qui inficta gravi ac atroci injuria statim & in puncto perpetrati aetus ad vindictam per necem alterius quasi impelluntur , propter justum , ut supradixi , iræ sanguinisque injuriæ vindicis calorem , unde Galli patro idiomate dicere consueverunt : *Le Roy fait grace pour les coups chauds.*

THESES. IV.

Crimen , quo personam Domini aggreditur , aut impias manus illi infert ; priori æquiparatur , per 2. F. 24. vers. porro 2. F. 6. vers. incolume . Indirecte vero in personam Domini invehit Vasallus , si injuriose eum alloquatur , per dict. text. aut quoque alio modo contra eum noxia machinatus fuerit ; quod accidit famam aggrediendo , aut graves injurias Domino inferendo , 2. F. 24. Libellum famosum adversus Dominum componendo aut uxorem ejus stuprando , quam injuriam seu crimen Jus Feud. in 1. F. 5. & alibi : per phrasin : *Cucurbitare Dominum* , exprimit ; Cujus felonie tractatio limatus instituenda est .

THESES. V.

Ac primo vocis *Cucurbitationis* origo scrutanda :

da; cuius ineptam admodum sibi singit originem
 Du FRESNE in *Gloss. med. ac insim. latinit.* dum
 vocabulum *cucurbitare* ad Dominam applicat, quod
 Vasallus Domini uxorem adulterio polluendo,
 eam cucurbitæ instar inflet, i. e. imprægnat, cum
 tamen textus feudales illud aperte arque diserte
 ad Dominum ipsum referant. Nec mihi placet
 ALCIATI l. 7. parergon *Jur. c. 5.* verbi deduictio ab
 ave *cuculo*, quem veteres vecordissimum & ignavissi-
 mum prædicabant; Ideo *cucurbitare-Dominum* idem
 esse credit, ac eum reddere cuculum ignavum,
 quod vix mihi persuaserit, quippe si originem
 suam inde desumeret, *cucullare* & non *cucurbitare*
Dominum Vasallus hoc in crimen dicendus esset.

THES. VI.

Nec minus inscite SPEELMANNUS in *Glos-*
sario circa vocis analogiam procedit, dum ideo
 phrasin a Feudistis usurpari credit, quod istud ho-
 minum genus sit *ingenii cucurbitini*, i. e. ignavi
 ac fidei conjugalis minus curiosi, aut ruptæ non
 severus vindex; cum tamen crimen hoc remotis
 arbitris clandestine perpetretur, ut proin ejus ultio
 neglecta, non tam ignaviæ quam ignorantiaæ
 adscribenda sit. Huic partim adstipulatur RIT-
 TERSHUS. *in part. feud. lib. 2. cap. 5. qu. 35.* verbum
cucurbitare a *cucurbita* promanare existimans, fru-
 itu nimirum in his terris admodum communi; cu-
 curbitini vero *ingenii* aliquem prædicare, idem
 est, ac *cucurbitam pro capite, peponem autem pro corde*
habe-

habere; aut est hominem significare *incretum ac stupidum* (qui loquendi mos TERTULLIANO notissimus lib. 4. *adversus Marcion.*) quæ prædicata Vafallus uxorem Domini stuprans ei tribuere censetur. Vafallus enim tot pericula adire incautus non existimandus est, nisi dominum tam stupidum & ignavum crederet, qui fraudes adulterinas suspicere non posset, vel suspectas vindicaturus non esset, ut pluribus demonstrat BITSCH. in *comment.* ad *J. Feud.* ad I. t. 5.

THES. VII.

Mihi, non spredo diverso Doctorum judicio, si unquam vox *corbita* existit, arridet derivatio HOTTO MANNI in *lex. Feud.* ubi a *corbita* quod in LL. Longobardicis *stuprum* denotat, derivari vocem *cucurbitare* assertit; quod maritum infamia uxoris notatum significabat. Inde effectum, ut *cucurbitare Dominum*, eandem significationem habuerit, ac uxorem ejus stuprare, vel pudicitiam attendare I. F. s. & alibi. Quæ vocis origo ideo mihi arridet, quia tanquam barbara ex radice suæ gentis deducta. Quare autem *Speelmanus* ad consanguineas aut alias Domino affectione particulari conjunctas personas phrasin extendere nolit, nefcio, cum expresse textus feudales illam eosque producant. Hic ergo *Speelmano* error facile obrepere potuit ex ignorantia vel perfunctoria tantum textuum *Juris Feud.* inspectione.

THES.

THES. VIII.

Synonymum *cucurbita* est, *Arga*, quod idem significat Codici LL. Longobardicarum ac cucurbitæ vocabulum, vid. lib. I. T. 5. leg. I. si quis alium Argam per furorem clamaverit, & negare non potuerit, & dixerit, quod per furorem dixisset: tum jurans dicat, quod cum Argam non cognovisset, & postmodum componat pro ipso injurioso verbo XII. S. ibi Glossator BOHERIUS rem sic explicat, Argam, i.e. cucurbitam &c. Hujus vocis, ut injuria, mentionem facit quoque PAUL. DIACON. de gest. Long. lib. 6. c. 8. cuius inter alia haec sunt verba: *Memento, Dux Ferdulse! quod me esse inverti & inutili dixeris, & vulgari verbo Arga vocaveris. Nunc autem ira Dei veniat super illum, qui posterior e nobis ad hos Sclavos accesserit &c.* Vocis hujus radicem repetunt ex Græcia, & quidem a voce ἀργεῖς, quæ Græcis hominem ignavum denotat. *Cucutia* apud Gallos eadem gaudet significatione, uti videre est in usatic. Barcinonens. MS. cap. 99. *De rebus possessionis cucutiorum, si maritis nolentibus erit facta cucucia, ipsi & eorum seniores aqua portione habeant partem totam adulterantium conjugum, si vero, quod absit, maritis volentibus & precipientibus sive assidentibus facta fuerit Cucucia, illorum talium jus & justitiam habeant integrerit illorum seniores.*

THES. IX.

Plura ex scriptoribus mediae ætatis existant testimonia apud DU FRESNE in Gloss. M. & I. B. Lat.

Lat. Voce Cugus. Gallis hodie *cucu*, *coucou* & *cornard*, venit, olim voce *Couz* rem indigitabant, vid. Lexicon quoddam vetus Lat. Gall. *Niminvir*, *Couz*, c'est de qui sa femme fait avouterie. Impro-
prie tamen ille, cuius uxor mœchatur, *cuculus* vocatur, cum e contrario mariti leges matrimo-
niales infringentes, tali nota essent inurendi, qui
nempe avium hujus generis more in alieno nido
ova ponunt; qualis significatio olim apud Latinos
quoque obtinuit. Sic mulier quædam Artemo-
na forte fortuna in flagranti delicto maritum cum
scorto in lupanari inveniens cuculum appellat apud
Plautum in Asinaria Act. 5. Sc. 2. v. 73.

Etiam cubas cuculus.
& vers. 84.

Cano capite te Cuculum Uxor
Ex lustris domum rapit.
Qui autem Gallis *cuculus*, Romanis *Curruca* au-
diebat, uti videre apud *JUVENAL.* in *Viro solidio*
sat. 6. vers. 276.

Tu Tibi nunc curruca places, Fletumque labellis
Exorbes &c.

Fusius de his *HOFFMANNUS* Lexico suo de
voce *cugus*; habet idem Usatic. Barcin. MSS. 67.
si quis appellaverit aliquem cugus, propter bannum
emenderet ad Principem 20. uncias auri. Petrus Ar-
rago. Rex in *Constitution. Cataloniae* manuscriptis,
pro *Cucu*, ponit *cucussus*, *cuciatus*: Statuimus, quod
si quis uxorem, qua nondum 15. annum explevit, de-
floratam exiens de terra nostra per 7. annos reliquerit,
si po-

*si posca forte eam accusaverit, i. e. cucumsum fecerit,
non teneatur, nec panam aliquam patiatur. & infra
Et bac ipsa ratione ipse accusatus i. e. cucurbitanus fue-
rit &c. vid. DU FRESNE d. l. Germanis hos
stupidos, appellare placeret, einen Hörnerträger,
Hantreyen &c. Italis vero un becco cornuto.*

THES. X.

Affine quid denotabat *Ancillariorum* con-
ditio, quæ apud Romanos in illos cadebat
maritos, qui Imperio maritali adeo inerter uteban-
tur, ut etiam consciæ uxoribus meechari permit-
terent. Qua de re insignis *Seneca* exstat locus,
lib. 1. cap. 9. *de benef. Conjugibus alienis*, nec clam
quidem, sed aperte ludibrio habitis, suas altis permi-
sere. *Rusticus, inhumanus, ac mali moris, & inter*
matronas abominanda conditionis est, si quis conjugem
in sella prostatre vetuit, & vulgo admissis inspectoribus
verbis undique perspicuum. Si quis nulla se fecit amica
insignem, nec aliena uxori amulum prestat, hunc ma-
tronæ humilem & sordida libidinis & ancillariolum
 vocant &c. & quæ ejus verba in hanc rem sunt
plura. Alias adhuc plures, si opus esset, afferre
possem synonymas voces, quas, ne diutius tam
*odiosæ rei inhærente videar, omitto. *Cassis tamen**
omnia sint casta, ut habet proverbium, in mei sub-
levectionem, causæque auxilium,

THES. XI.

Examinata jam vocis vi ac potestate, inspi-
cienda erit Definitio. *Cucurbitatio autem est spe-*

B 2 cies

ties felonie, per quam, si Vasallus pudicitiam certarum personarum Domino conjunctarum, sive potestati, aut affectui Domini subjectarum violaverit aut alienaverit, feudo privatur. Genus hic pono non crimen, non delictum, sed speciem *Felonie*. Cucurbitatio enim designat non præcise adulterium, nec stuprum, sed injuriam, a Vafallo, mediante uxore seu certa conjuncta fæde tractata, in Dominum patratam, ut proinde criminis saltem remote, Feloniæ autem proxime in hoc feudali articulo ratio habeatur: cætera definitionis verba lucem haurient ex illis, quæ differenda restant.

THES. XII.

Si in ulla alia feudali materia, in hac certe, miræ sunt *Commentatorum Juris Feudalis* varie a se dissidentium digladiationes, partim ex parum sollicita textuum feudalium ruminatione natæ, partim ex veterno ob nimium erga leges civiles amorem contracto ortæ. Loco baseos, cui tota hæc res inniti debet, præsupponendam esse duxi observationem nostram, (vanamne, an firmam, in medio relinquo) Dd. sententiis, atque dictatis derogare nec volens, nec valens, satius veritatis nubibus discordiarum involuta detegendæ causa adductus. Scilicet Cucurbitationis feditatem, nec ex sola conjugione cum persona, quæ sub potestate Domini est, nec ex folio

solo consanguinitatis vinculo, nec ex generali tantum affectione Domini adversus quasdam personas, vel ex reverentia domino debita a Vasallo simpliciter lœsa dijudicandam esse. Sunt enim, qui ajunt, si nimis generaliter explicaretur hæc materia, in omnes nepotes, neptesque, aliasque personas, potestate, consanguinitate, aut affectione Domino coniunctas felonias hæc in infinitum fere produci posset, & omnis impudicitas, qua fides Domino promissa violari videretur, hic referri posset contra verba diserta *I. F. L.* & mentem. Unde, salvo rectius opinantium judicio, cum imprimis in materia penali versemur, ante omnia attendendum esse puto ad personas expresse in textibus feudalibus recensitas, cum quibus flagitium hocce committi dicitur, & quæ ob identitatem rationis sub illarum speciali nomine comprehendi consentur. Hoc demum casu præcipue conjunctio attendi potest, aut singularis domini affectio adversus quasdam personas, per cuius lœsionem observantia erga dominum neglecta à Vasallo appareat. Examinanda quoque causa impulsiva, qua Feudistam ad expressam quarundam personarum enumerationem impulsæ & ob quam de similibus idem sensisse videatur, quæ tamen ut in personis nominatis primario consideretur, necesse non est, cum in Juribus arbitrariis, uti hoc feudale est, statuentis jure voluntas loco rationis validissimæ sit, *I. 20. I. 21. ff. de LL.* modo statutum vel consuetudo Juri divino aut naturali non aduersetur. Licut & aliæ circumstantiæ, in *J. F.* tamen contentæ

tentæ, considerationem hanc ingredi debeant, uti commoratio in domo domini *arg. I. F. 5. & 2. F. 24. §. 2. vers. rursus.* Similiter, quod non tam persona ipsa immediata, quæ stupro a Vasallo maculata est, quam mediata, Dominus sc. in quem contumelia per immediatam transit, respicienda sit. Fidelitate enim per mortem domini extinta, & alii præstata, non habet, cui insistat felonia, fulcrum, cum non entis nulla sint accidentia. Nec nimium fidendum Juri Civili contra expressam *J. F.* definitionem, aut mentem; uti aperta est utriusque juris in plurimis articulis dissonantia.

THES. XIII.

Videndum nunc ulterius, quinam feudalis cucurbitationis nexibus implicari possint? Omnes qui adulterium, stuprumne committere, vel injuriam foedam inferre possunt, quia tot fere modis secundum textus feudales variat cucurbitatio, *arg. I. F. 5. 17. 21. & 2. F. 24.* delicti hujus capaces sunt. Versamur quippe in materia odiosa, & maximi momenti, feudi videlicet amissione, quæ restrictionem facilius admittit, quam extensionem; tardius proin progrediendum in illa erit. *I. respiciendum §. I. & I. bodie de pan. c. disciplina cap. namque 45. distinet. c. quid faciat. 23. q. 3.* In omni autem delicto animus & voluntas, fedes omnis malæ actionis, imprimis attendenda, non exitus, juxta *L. DIVUS ADRIANUS ff. ad L. Cornel. de siccari. & fere crimina & delicta voluntate distinguuntur a non criminibus & non delictis, c. cum voluntate.*

de sent. excom. l. qui injur. de furt. l. verum. in pr.
cod. l. quod Republica de injur. Sed & sine vo-
luntate dolus non admittitur: delicta autem &
crimina sine dolo & animo malo proprie censeri
non possunt, can. unum §. criminis appellatio 25.
distin. Hinc ergo (1) excludimus *Infantes*, tan-
quam doli incapaces, quia, quæ agunt, igno-
rare existimantur, l. 5. §. 2. ad L. *Aquil.* l. 12. ad L.
Corn. de *Sicar.* l. *Pupillus*. 9. de acq. hered. §. 9. *Inst.*
de *Inut. Slip.* & quæ in adultis impudica haben-
tur, ea in his ætatis innocentia excusat, & tan-
quam ludicra cachinno magis vel moderata casti-
gatione, quam severiori pena digna censemuntur.
Proximi his, & qui iis in legibus frequentius af-
ficiantur, sunt (2) *Furiosi*, quos ab omni crimine
fati infelicitas liberat, per l. 12. ad L. *Cornel.* de
Sicar. & qui ipso furore satis puniuntur, l. 9. §. 2.
ad L. *Pomp.* de *parr.* l. 14. de *Offic.* *Presid.* quibus
assentiuntur Canones in c. aliquis 15. q. 1. & cle-
ment. un. de *homic.* (3) *Ignorantes* sive *Errantes*,
quia quod per errorem gestum, gerenti non no-
cet, per l. 15. de *Jurisd.* uti, quando cum extra-
nea persona sibi rem esse existimantes, perfecto
demum scelere, Dominam, vel ex conjunctis
Domino personis aliam fœde tractasse comperi-
unt; cuiusmodi errores & deviationes in so-
lennibus, ubi Vasalli vocati personaliter comparere
solent, larvatis congressibus, ad tædaruui lumen
celebrari consuetis, olim & hodie satis apud Illu-
stres frequentibus, gliscere de facili possunt. si
rege-

...
...
...
...
...
...
...
...
...
...

regeras, eum, qui in facto legibus prohibito versatur, in dolo permanere, etiam quoad omnia, qua ex facto illo subsequuntur arg. l. 6. C. ad L. *Jul. de vi publ.* Respondent concedendo totum quoad poenam ordinariam: Hic autem loquimur de poena accessoris privationis feudi, quæ locum non invenit, nisi Vasallus per delictum illud, alias commune, animum habuerit, simul injuria Dominum contra reverentiam ipsi debet tam afficiendi. Si urgeas argumentum, & dicas, idem tamen legibus & speciatim de *Injuria cautum* per l. 18. §. 3. de *Injur.* verb. si injuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus: aut si quis putet me *Luciam Titum esse*, cum sim *Cajus Sejus*: prevalet quod principale est, injuriam eum mibi facere velle. Nam certus ego sum, licet ille putet, me alium esse quam sum, & ideo injuriarum actionem habeo. add. l. 20. sub. fin. C. de *furtis*. l. 45. §. qui cum alter. 4. ad L. *Aquil.* l. 15. §. 7. C. ad L. *Corn.* de *sic.* ad eas eandem reponimus responsum, Domino scilicet competere actionem injuriarum ordinariam, poenaque ex hac descendentiis persecutionem; non vero Vasallo ex eo solo feudum subtrahi posse, qui de Domino offendendo nunquam cogitavit, sed tantum de pruritu inordinato tantum restinguendo. Pariter ut jure Civili, si quis, per intermediam personam liberam, injuriam accepisse conqueri velit, oportet, ut probet in suam contumeliam eam factam per §. 6. l. de *Injur.* l. 15. §. 48. ff. b. t. Ex intentione enim & consilio injuriandi animus dijudicandus, l. 5. C. de *Injur.* l. 33. ff. eod. l. 15. §. 38 eod. Si vero eo impudentia & vecordiae proceperit Vasallus, ut post detectam, depulso errore, veritatem rei, propodium suum aliis deprecidare, atque, tanquam de occupata Troja, Palladioque submo-to, sibi ipse publice gratulari aulus fuerit, quin justissime feudo, vel ob hoc solum a Domino depellatur, nemo inficias iverit. Hic enim assimilatur illi, qui lapide projecto ignarus suam novercam occidit, dixerat:


Ne sic quidem male,
TANTUM pro primo penso.

ULB Halle
005 039 479

3







B.I.G.

102./385.
B. C. D.
DISSERTATIO JVRIS FEVDALIS,
DE
FELONIÆ SPECIE,
1741, 2.
CONSVETVDINES FEVDALES
CVCVRBITATIONEM
APPELLANT,
QVAM
P R A E S I D E
DN.JEREMIA EBERHARDO
L I N C K I O,
J. U. D. JUR. PUBL. ET PAND. P. P. O.
ET CAP. THOM. DECANO,
SOLENNI CENSVRÆ SVBJICET
AD DIEM **FEBRVARII** *MDCCXL.*
GEORGIVS ANTONIVS
JÆGER,
ALTENSTADIENSIS.
ARGENTORATI,
Typis, MELCHIORIS PAVSCHINGERI, Typogr.

ZVHALT